

## **Franckesche Stiftungen zu Halle**

### **Aufsatz von Johann Leonhard Lenz anlässlich des Reformationsjubiläums.**

**Lenz, Johann Leonhard**

**Öhringen, 29.10.1717**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-46363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-46363)

14170  
1618

# LECTORI,

RELIGIONIS PURIORIS STUDIO, ET DIVINÆ VERITATIS  
AMORE FLAGRANTI,

S. P. D.

M. Johannes Leonhardus Lenzius,

Gymn. Hohenl. Rector et Scholarcha.

**Q**uod bonum, faustum, felixque sit, cum huic oppido, et Hohenloico comitatu, tum universae reipublicae Christianae; dies ille clarissimus, atque ad omnem posteritatem memorabilis, a Musis nostris sacro ritu, summaque religione, & caerimonia obeundus, atque hic publice significandus, instat, quo ante ducentos annos, admirandum sacrorum repurgationis opus, auctoritate, consiliis atque labore, divini illius viri, D. Martini Lutheri, susceptum fortiter, tandemque feliciter perfectum est. Admirandum opus appello, nec immerito sic voco! pontificum satellites, quorum violentia nostri majores compulsi, secessionem necessariam pariter, acjustam fecere, à nobis idemtidem postulare solent, ut doctrinae nostrae veritatem, consiliique rationes miraculis firmatas demus; quod etsi iniquum postulatum, neque opus est, facile tamen à nobis praestari potest. Nam ut praetereamus divinas illas, & supra humanam conditionem positas virtutes, quibus sanctissimus servator noster, ejusdemque legati, hanc, quam profiteamur, doctrinam, abunde confirmaverunt; vel unum hoc religionis instauratae negotium, clarissimo documento est, nihil hic humanas rationes valuisse, sed omnia divino consilio, admirandum in modum esse gesta. Etenim siue temporum habeas rationem, siue summam pontificis auctoritatem, potentiamque respicias, siue ejus, qui hoc tam arduum, tam incredibile opus inchoatum, deo benejuvante, absolvit, personam & imbecillitatem intueare; nihil animo oculisque occurret, quod non summa admiratione dignum, & in portentis ac prodigiis numerandum. Qui ad suos mores, & tempora, pristinae reipublicae statum referunt, & ex sui seculi conditione, antiquitatis instituta aestimant, hi nec temporum illorum calamitatem capiunt, nec hujus beneficii magnitudinem intelligunt satis, & perpendunt. Non enim, si nostra aetate, literarum studia florent, & saluberrimis doctrinae diviniore vocibus omnia templa personant, atque cujusvis manibus sacer ille codex teritur, illa tempestate perinde comparatur, & par majorum, ac nostrorum hominum felicitas fuit. Id quod longe aliter se habet: summa ignorantia tum literarum omnium, tum inprimis sacrarum, cum maxima doctrinae diviniore corruptione, & flagitiosissimo vivendi genere conjuncta fuit. Omitto externa, refero domestica. Oppidi hujus senatus, ante sacrorum instaurationem, supplici libello illustrissimis comitibus Hohenloicis, à quibus opem, auxiliumque petiit, aperte significavit: Multitudinem pecudum ritu vivere, & sacerdotes juxta pessimos, atque imperitissimos esse. Quorum vitae turpitudinem, moresque nefarios facile patimur sileri, & in tenebris jacere sempiternis; atque ex tabulis Hohenloicis hoc unum referimus, fuisse illis temporibus, hoc ipso in comitatu, sacri ordinis viros ad docendum, flectendumque populum constitutos, quibus ne quidem formula *orationis dominicae*, & *symboli Apostolici*, atque *decalogi* verba percepta, aut memoria, & animo comprehensa fuere. Verum est, quod dicitur: si reliqua scias omnia, Christum autem nescias, nihil est: hic vero cum suis beneficiis, majoribus nostris nec cognitus satis, nec recte ob oculos positus fuit unquam. Neque existimandum est, meliorem aliarum regionum, locorumque conditionem fuisse. Pestis haec non per Germaniam solum, sed omnem orbem Christianum à multis seculis pervasit penitus, ac plane inveteravit. Quam miseram rei Christianae conditionem, centum querelis comprehensam, ad pontificem M. Adrianum VI. anno 1522. imperii ordines, gravissimis verbis perscripserunt, hujusve mali medicinam serio expetierunt. Qui pontifex, multis aliis & doctior & moderatior, neque dissimulavit, neque obscure confessus est, Romam adhuc nequitiae officinam, & flagitiorum omnium diversorium fuisse. Archiepiscopus Salisburgensis, sine circuitione, Philippo Melancthonius aliquando, candide dixit: Quid in nobis sacerdotibus emendandis multum occupamini, qui nunquam probi fuimus? Vere Mantuanus canit:

sunt venalia nobis

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,  
Ignis, thura, preces, coelum est venale, deusque.

Neque



Neque id rem, & tempora recto secum iudicio ponderanti, mirum accidit: ubi enim sacrae literae nihil valent, honestissimarum artium studia jacent, inanis & jejuna philosophandi ratio, sermone barbaro & inculto referta, dominatur, ubi doctores praecipui raro sacrum codicem oculis usurpant, diligenter legunt nunquam, & ab hujus libri lectione, gravi proposita poena, alios arcent; ibi non possunt non super aemulorum, & animi hominum maximorum errorum, ac pestiferarum opinionum laqueis irretiri. In hac tanta caligine, & tenebris plus, quam Cimmeriis, tantam lucem non Germaniae solum, sed pluribus aliis regnis Lutheri opera, tam cito allatam esse, quis non admiretur? Quis divinam dei immortalis potentiam non sentiat, atque hoc opus, non omni humano consilio, & viribus majus esse dicat? Neque hoc tam mirum est, morbum difficillimum, & longo tempore inveteratum, tam facile, tam feliciter curatum esse; quam incredibili admiratione nos perfundere debet, quod medela suscepta fuit invito, & maxime repugnante pontifice, cujus auctoritas & potestas, illis temporibus, ad summum fastigium ascendit, & sanctior habita est, quam dei ipsius, & servatoris Jesu Christi voluntas. Non sumus ii, qui oratione graviori pontificem onerare, aut aliquid praeter rem dicere velimus: Illud tamen in promptu est, neque, salva veritate, negari potest, id, quod Paulus de summo Christi adversario, multis seculis ante prodidit, in illius aetatis pontifices maximos quam verissime convenire. Non aliter ac Deus coli, & sua instituta, sanctius ac religiosius observari voluere, quam dei immortalis praecepta. Quae de re imperii proceres, gravissime, in querelis modo adductis, iustissimeque conqueruntur, suaque jura imminuta, Romamque omnem rerum aequae civilium atque sacrarum, potestatem sibi arrogare, suaeque mandata, divinis potiora, velle haberi, aegerrime ferunt. Imperatores quidem, reges ac principes a longo tempore, maximo studio, summisque viribus allaboraverunt, ut hanc pontificum impotentem dominationem frangerent, iustisque limitibus circumscriptam, coercerent: verum imperio tot artibus elaborato, tantis opibus munito, tot seculis firmato, nullae vires humanae pares, omnesque adeo conatus irriti, & inanes fuere. Unde pontificum potestas, quotidiana virium accessione aucta, sic crevit, ut feremole sua laborare videretur. Incredibile dictu est, quibus elogiis, vel maximi & potentissimi rei publicae christianae principes pontificem ornant, qua veneratione prosequuti sint, quam ejus indignationem timuerint, adeo ut omne coeli, terraeque imperium ei permissum esse vel persuaderent sibi, vel persuaderi paterentur. Davidem, puerum rei militaris expertem, cum Goliatho, viro robustissimo, & in armis exercitatissimo, manus conseruisse, eundemque vicisse miramur: longe vero admirabilius est, pontificem incredibili auctoritate praeditum, maximis opibus vallatum, omniumque imperatorum & regum amicitia tutum, tempore difficillimo, & caliginosissimo a Luthero oppugnatum, atque superatum esse. Quid enim Lutherus hominis fuit? Monachus imbellis, nullis viribus, nullo robore, nullis facultatibus, sed solo divini verbo armatus, & animi magnitudine, doctrinaeque praesidiis praestans. Hic Lutherus, ut ab initio pontificis decreta antiquare, ejusdemque auctoritatem imminuere, atque religionem omnem meliori habitu exornare, in animo non habuit; sic in tanta rerum perturbatione, tantaque adversariorum potentia, de felici successu non nunquam desperare coepit. Albertum Cranzium, scriptorem celebrem, visa, & lecta Lutheri disputatione, adversus Tezelii, impudentissimi hominis conatus, habita, exclamasse accepimus: O miser monache! quid agis? vera quidem scribis, & disputas, sed nihil agis, oleum & operam perdis! O bone Martine! absconde te in cubiculum tuum, & ora: miserere mei deus! Quamvis vero optimus quisque, quorsum hoc Lutheri institutum evaderet, spe metuque plenus expectaret, nec immerito in tanta hostium potentissimorum copia, tot paratis insidiis, vereretur, ut hujus Augiae stabuli repurgatio feliciter successura sit: Tanta tamen verbi divini vis, tantus veritatis favor, tanta in hominibus doctrinae coelestis percipiendae cupiditas extitit, ut veritas in plurimorum mentibus attrahendis confestim ostenderet viam suam, & cupidissime recepta, probataque, brevi latissime disseminaretur. Alexandrum M. paucis annis omnem Asiam in suam potestatem redegit, magnum est: illud vero longe majus, nec sine praesenti numinis auxilio perfectum, quod per unum Lutherum, eundemque imbecillum hominem, divino spiritu & virtute praeditum, Germania nostra, brevi temporis spatio, gravi multorum seculorum servitute liberata, foedissimisque erroribus soluta, in pristinam religionis libertatem vindic-



vindicata est, ac restituta. Neque nullum, ad hanc religionis causam promovendam, ornandamque, momentum attulit, quod eosdem & adversarios habuit, & testes: quantum autem in hostis testimonio, nulla praesertim vi, sed veritatis convictione expresso, positum sit, nemo ignorat, spectatve ad laudem Lutheri, & nostrae religionis decus, quod aliquot patrum purpuratorum, gravissimorum antistitum, & principum clarissimorum suffragiis probata, & ornata est. Quia praesens institutum longiores nos esse non permittit, satis est, exempli loco, unum Matthaei Langii archiepiscopi Salisburgensis, idque luculentum testimonium, non meis, sed Petri Svavis, notissimi; maximeque ingenui historiae concilii Tridentini conditoris, verbis proferre: *Neque hic praetereundum est, inquit, quod Cardinalis Matthaeus Langius, archiepiscopus Salisburgensis, apud omnes ingenue est professus: missae reformationem videri sibi honestam, libertatem quibusvis cibis vescendi esse naturae convenientem, imo postulationem eam, ut homines christiani humanorum mandatorum onere liberentur, justam & aequam esse; sed ut misellus Monachus omnes reformet, id non esse tolerabile.* Causam igitur probavere, non auctorem; veritatis aliquem prae se tulere, sed hominis, eam magna fide docentis, odium plus quam Vatiniarum; morbum agnovere, medicum autem ferre non potuere. Verum ut nummos, non habita ratione, a quo cusi sint, si pondere & valore respondent, probamus, atque accipimus; sic aequum fuerat, doctrinam Lutheri, quam veram esse viderunt, potius promovere & tueri, quam hominis causa odisse, & impedire. Palmam, rerum naturalium scriptores tradunt, onere imposito non deprimi, verum magis se erigere, & contra niti: idem in hoc sacrae religionis negotio evenit, quo magis veritas pressa, afflicta, & in angustum deducta est, eo efficacius emerfit, celerius crevit, & copiosius per orbem terrarum est dilatata. Neque pro exiguo divinae providentiae argumento habendum est, quod haec religionis causa brevi tempore plurimos approbatores invenit, & maximas provincias, multaque regna, veritatis studio incensa, sibi favere vidit. Huc accedit, quod Lutheri doctrina tandem pacis publicae praesidio munita, & adversus tot insidias, tantam hostium vim, tot artes, in maximis bellorum fluctibus, admirabili quadam ratione adhuc conservata, defensa, & amplificata est. Cujus divini, maximique beneficii memoriam, nisi grato animo & religione singulari colamus, atque hoc maxime tempore, diligenter repetamus, indignissimi sumus, quos deus e tot tantisque calamitatibus ereptos, suorumque civitati adscriptos, verbo divino, omni auro argentoque praestantiori, huc usque pavit liberaliter, fovit clementer, sui que numinis virtute, profligatis casibus adversis, tuitus est, atque defendit. Et quando in coetu Lutherano templa omnia laudibus divinis in praesenti plena sunt, omnes suggestus hujus beneficii magnitudinem pie praedicant, nec ulla domus, familia, aut homo, hoc a majoribus acceptum bonum tacere debet; nostrarum inprimis partium est, incredibilem hanc atque divinam bonitatem, sacrorum emendatione nobiscum communicatam, grata memoria recolere, cum aliis sancte celebrare, & quantis possumus, maximis laudibus, ac praedicatione exornare, deumque immortalem, summum sacrae rei publicae statorem, & conservatorem, religiosissimis precibus rogare, ut hoc nobis gaudium proprium & perpetuum esse sinat, doctrinamque coelestem, Lutheri diligentia ac fide nobis restitutam, & per bina secula adhuc conservatam, porro nobis servet, atque a corruptelis immunem praestet, & cum omni posteritate castam puramque conjungat, neque, nisi cum interitu hujus universi hic locorum extingui patiatur. Eum in finem Celsissimorum Comitum nostrorum iussu & auctoritate decretum est, ut futuro die Martis, IV. ante Non: Novembres, tempore antemeridiano, hora octava, tres juvenes, oratores confurgant, & in celebrandis, praedicandisque divinis beneficiis, ingenii atque industriae nervos experiantur. Juvenes sunt, & modestia & morum probitate, & literarum studio florentissimi, atque, quod caput est, in spem patriae nati: quorum conatus honestissimus, quin benevola auditorum frequentia prolixè cohonestetur, hoc minus dubitamus, quo res ipsa facilius id impetrare debet, nobilissimaque juvenum gens ejusmodi benevolentiam remunerando, cumulandoque, studiosius illustrare potest. Primo loco, Ludovicus Gottofredus Hermannus, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimique, L. JOANNIS LUDOVICI HERMANNI, Jureconsulti praestantissimi, & Cancellariae Pfedelbacensi sacro-



sacroque senatui, auctoritate magnifica praesidentis, filius, *de reformationis necessitate*,  
 aget, tum Christianus Ernestus Hanselmannus, Viri Nobilissimi, Excellentissimique,  
 GEORGII HANSELMANNI, Consilarii olim Hohenloici, & Weickersheimensis prae-  
 fectionis praeclare meriti, ad superos jam translati, filius, Viri Nobilissimi, Amplissimi,  
 Excellentissimique, CONRADI EBERMAYERI, Jurisconsulti Clarissimi, Consilarii  
 Neosteinensis Aulici, & Praefecti Oeringensis spectatissimi, privignus, *de commodis in  
 ordinem politicum, ex sacrorum emendatione redundantibus*, verba faciet, tertio, Justus  
 Joachimus Janus, Viri maxime Reverendi, Amplissimi, Excellentissimique L. JOANNIS  
 LAURENTII JANI, Antistitis Hohenloici primarii, sacri senatus Assessoris gravissimi, Ora-  
 toris facundissimi, Gymnasiique inspectoris Venerandi, filius, *quantum beneficiorum ex re-  
 ligionis repurgatione, ad sacrum ordinem, populum, & rem literariam pervenerit*, commoda  
 oratione complectetur. Si in hac religionis causa modo fortunae nostrae, existimatio, &  
 dignitas, agerentur, nemo nostrum tam dissolutus, tam levis, tam abjectus esset, quin  
 summopere moveretur, & hanc rem diligentissime cogitandam, ponderandamque  
 censeret: Nunc vero bona minime fluxa & caduca, sed coelestia & sempiterna aguntur;  
 agitur gloria servatoris nostri, Jesu Christi, qui nostra causa infinitos dolores, & cru-  
 ciatus acerbissimos sustinuit: agitur veritas divina, pro qua sanctissimi homines mor-  
 tem oppetere, nunquam dubitaverunt, neque Lutherus ipse, invidi animi theologus,  
 vitae discrimen adire recusavit: agitur denique nostra, & nostrorum omnium salus  
 aeterna, quae semel amissa, nullis opibus restitui, nullo pretio redimi, nec ullo tempore  
 reparari potest. Quis igitur nostrum tam demens, tam sibi, suisque inimicus, tam  
 profligati animi homo esset, ut hanc sacrorum emendationem vel parvi faceret, vel  
 Lutheri operam, labores, & vigilas, parum magna laude dignas judicaret, vel, Dei  
 O. M. beneficium, cujus inusitatae bonitati haec omnia debemus, non summis  
 laudibus extolleret, nec animi religione, pietate, constantia coleret, ac per om-  
 nem vitam aestimaret? Constantia digna gravi viro virtus est, & maxime in religionis  
 negotio tuenda: qui mobili animo & ingenio sunt, in levium numero ponuntur, nec  
 deo probantur unquam, & probis omnibus invisi atque infesti sunt. Habemus princi-  
 pum virorum exempla, in illustri posita monumento, eorum, qui maximis potius  
 periculis se obulere, quam a religione vel transversum unguem discederent, quorum  
 exempla non ad intuentum, sed ad imitandum nobis proponuntur. Quam diu Saxo-  
 num nomen & gloria permanebit, Johannis illius, principis electoris divina virtus,  
 constantia incredibilis, & rara pietas celebrabitur, qui, cum Augustae Vindelicorum  
 adversarii tentarent omnia, eumque a verae religionis patrocinio, summis viribus, &  
 singulari artificio deducere conarentur, nec precibus flecti, nec minis terreri, nec  
 praemiis & pollicitationibus moveri, nec, proposito periculorum metu, impelli po-  
 tuit, ut, deserta veritate, ad hostium voluntatem & consilia se aggregaret. Comi-  
 tem Wolfgangum, ineunte superiori seculo Weickersheimii viventem, regentemque,  
 cum aliis multis virtutibus conspicuum, tum hoc animo fuisse, legimus, ut  
 apud pontificia in primis religionis penitus abhorreret. In peregrinatione Gallica, mis-  
 sae sacrificio spectandi causa aliquando adfuit, ac mira superstitione, cum praefectus  
 morum a comite admonitus, confestim secum non exiret, sic commotus est, ut san-  
 guine e naso stillante declararet, cultus hujusmodi, a sacris literis alienos, sibi vehe-  
 mentissime displicere. Deum immortalem, cujus nutu, & arbitrio, coelum, terra,  
 mariaque reguntur, demississime deprecamur, ut hanc mentem cum omnibus, qui  
 cum imperio sunt, tum indulgentissimis patriae patribus, Illustrissimis Comitibus  
 Hohenloicis clementer ingeneret, eisdemque fructus verae religionis uberrimos in sem-  
 piternum impertiat, atque adeo doctrinae errores, pestem animorum, vitiis etque  
 sordes ab hoc comitatu quam longissime, diutissimeque removeat, & spiritu sanctis-  
 simo nos omnes regat, quo veritatem cognitam, & probatam, firmiter retineamus,  
 neque religionem Lutheranam, ulla vel voluptate, vel commodo, vel dignitate,  
 vel alia quacunque re caduca, & fallaci permutemus, eamque curam animis  
 nostris sempiternam habeamus infixam, ut hoc, bonorum omnium maximum,  
 integrum, sartum, ac tectum servemus, omnesque cruciatus corporis, omnia pericula  
 mortis, atque exilii fortiter potius subeamus, quam verum, rectumque deferentes, pri-  
 stinae servitutis jugo, colla nostra, dei beneficio, & Lutheri opera semel liberati, iterum  
 subdamus, aut in superstitionum, errorumque laqueos, quibus hoc die evoluti sumus,  
 praecipiti animo, & ratione depravata nos denuo induamus; atque sic tandem, supera-  
 tis omnibus seculi aerumnis, & calamitatibus, hujus doctrinae luce, beneficio meritum  
 Jesu Christi, cum coelestium animorum coetu conjuncti, gloriam ejus, veritatem, bo-  
 tatemque, animis lactissimis concelebremus, & laudibus sempiternis efferamus. P. P. quar-  
 to ante Cal. Nov. anno restituae salutis, M. DCC. XVII. sacro seculi Lutherano secundo.